



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

17. Quidam Superior Regularis tempore, quo erat Prælatus accepit pecuniam ab amico, quam postea subditus per multum tempus penes se retinuit, inscio Superiore, sed postea expendit cum eius licentia, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

de dineros, se passa al dominio à quel, à quien se presta, con todo esso el prestar no es cosa de importancia, porque el otro queda con obligacion de boluerle el mismo dinero, ò otro seme, ante en cantidad, de suerte que se passa el dominio con derecho à boluer à otro equivalente. Por lo qual emprestar haze muy poco, luego aunque Religioso, no tenga forma, y expresa licencia del Prelado, puede muy bien prestar, porque el prestar no es cosa de importancia. Ita ille. Et ita etiam hanc sententiam docent multi Viri docti ex nostra Religione, & Societate IESV, de hac re à me consulti. Vnde immeritò aliqui hanc opinionem falsam his diebus putarunt, quam nouissimè, tanquam probabilem, tener, & docet Peyrinus de Relig. subdit. tom. 1. cap. 2. §. 2. §. 5.

3. Non grauior etiam hic apponere verba Llamas in *Meth. part. 3. c. 9. §. 12.* vbi ait: Monachi, in eodem Monasterio professi, possunt sibi mutuo ad usum dare libros, & res cuiuscunque pretij, quem vnicuique illorum in usum concessa fuerunt, abque scrupulo vilo furti, vel iniustitia quia nulla iniuria fit aliis. Nam dans usum voluntarie præbet, quem habebat concessum: dominium vero Monasterium non amittit, cum ad idem reuertatur res quoad dominium, ex hoc, vel ex illo quoniam ambo sunt in illo professi: ergo nulli iniuria fit, nisi saltem Prelato, si sine eius licentia fiat: hæc autem non est iniustitia sed inobediencia, & semper venialis, nisi adsit contemptus. Sic ille. Et paulò post, descendens in particularia, ait, posse supradictos Religiosos dare inuicem tunicam, caligas, calecos, & etiam cucullam ad usum, dum modo dans proutius de sufficienti remaneat, omnino voto paupertatis seruato. Et ita etiam docet nouissimè Fagundez de *Præcept. Ecclesiar. 2. lib. 8. cap. 6. num. 4. §. 5. & 6.*

RESOL. XV.

An Religiosus possit commutare etiam cum secularibus aliquas res, quando nullam inuoluntariam patitur Communitas? Ex p. 1. tr. 6. Ref. 38.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Faustus in *thes. Relig. lib. 8. §. 1. §. 8. m. 2.* Homobon de *casib. referu. c. 3. p. 3.* Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 7. c. 19. n. 67.* & alij, quia putant, talem commutationem esse actum dominij, vtpote quæ à solo habente dominium valde fieri potest.

2. Hæc sententia est probabilis: sed non minus probabilem contrariam esse puto. Et præter Lopez, & Rodriguez, quos citat Faustus, & Sanchez, tenet etiam hanc sententiam Peirin, de *Relig. tom. 1. c. 2. §. 2.* §. 1. Ioan. de la Cruz de *statu Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 4. concl. 2.* & Ledesma in *addit. ad sum. tom. 2. cap. 4. dub. 7. fol. mibi 99.* vbi ita asserit: *Me parece probabilissimo, que el trueco no es pecado mortal contra el voto de la pobreza, aunque se haga sin licencia expressa del Prelado, y aunque se haga con Religioso del mismo Conuento, ò con otra persona estrana. La razon es: por que quando uno trueca una cosa, por otra de igual precio, queda con el mismo derecho, y con igual dominio de cosa del mismo valor: luego licito sera truecar semejantes cosas, sin licencia expressa del Prelado.* Videtur igitur tali permutatio, pauca materia, que non habet propriam distractionis, aut consumptionis rationem: & adest interpretatiua Superioris licentia: ergo, &c. Vide etiam circa præsentem questionem Tannerum in *2. 2. disp. 6. quest. 3. dub. 4. num. 104.*

Tom. VII.

RESOL. XVI.

An si Religiosus commutet aliqua cum secularibus, peccet contra votum paupertatis? Ex parte septima tractat. 1. & Misc. 2. Relolut. 21.

§. 1. Affirmatiue nominatiuè contra me respondet Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo de *ius. & iur. tom. 1. disp. 3. sect. 8. num. 57.* vbi sic ait: Illud tamen quod Diana addit, quod scilicet non sit mortale commutare res, quibus vitur Religiosus cum aliis rebus eiusdem valoris dissimilibus, etiam cum secularibus, quia semper remanet cum æquali valore: hoc, inquam, mihi non placet: quia eodem modo posset abique licentia vendi, cum tunc etiam fiat commutatio rei pro pretio, & maneat res eiusdem valoris apud Conuentum, nempe pecunia illa: imò vtilius est Conuentui commutare pro pecunia, quàm pro re alia determinata, cum pecunia deseruire possit ad rem illam, vel quamlibet aliam similem vel dissimilem comparandam. Fatendum ergo est, commutationem pro re dissimili nimium alterare rem ipsam, atque idè rationabiliter esse inuitum dominum, si abique eius consensu fiat.

2. Sed me citato negativa sententia placet Caruelli in *Regulam D. Benedicti, disput. 65. num. 97.* sic asserenti. A fortiori hæc conclusio, tenenda est de commutatione, mutatione, imò commutatione; scias esse probabile, Monachum non solum posse vestes, libros & alia quæ habet ad usum, commutare cum confratribus, sed etiam cum secularibus, dummodo in commutatione rigor iustitiæ plus citra conferuetur. Vnde qui daret seculari vnam togam pro vno libro similis valoris, non peccaret mortaliter. Ita ille. Vnde etiam probabilem contra Eminentissimum Dominum meum Cardinalem de Lugo, nostram sententiam esse existimo.

Sup. hoc in Ref. p. 1. c. 1. & inf. a in Ref. 23. §. Nota secundò, ad lit. 6.

Super his magis late supra in Ref. 14. & pro commutatione in Ref. & §. not. præterita.

RESOL. XVII.

Quidam Superior Regularis tempore, quo erat Prælati accepit pecuniam ab amico, quam postea subditus per multum tempus penes se retinuit, in scio Superiore, sed postea expendit cum eius licentia; quæstum à me fuit, an peccauerit?

Et ex doctrina huius questionis inferitur potius, se Confessarium Regularem absoluerè à reservationis vigore facultatis obtente à Prælato præterito, pro tempore sequenti, quo ipse non erat Superior Monasterij, vel Prouincia. Ex parte vndecima tractat. 8. & Misc. 8. Relolut. 54.

§. 1. Negatiuam sententiam tenet Cardinalis Lugo de *Sacram. penitent. disputat. 19. sect. 2. numero 42.* vbi querens an Prælati possit sibi dare licentiam pro tempore futuro, aduertit, facultates quas Prælati concedit, posse esse diuersas: alia enim sunt, quæ nunc quidem mandantur executioni, licet earum effectus perseveret postea, alia vero sunt, & effectus & executio ipsa postea ponenda est. Ad priorem classem spectat

communicatio, vel dispensatio in voto, quae semel executioni mandata, habet tamen suum effectum successivè, tempore etiam subsequenti. Item, quando Praelatus dat licentiam mihi accipiendi vestem, vel Breuiarium ab amico: nunc enim executioni mandatur illa licentia, & nunc accipio vestem v.g. quam postea retinere possim absque noua licentia successoris. Et quidem his, & similibus poterit Praelatus finita praelatura frui, quando ea executioni mandauit tempore quo poterat eiusmodi facultates circumscribere, & circa alios exercere. Quare si sibi accepit ab amico vestem, vel Breuiarium, poterit retinere postea, sicut possent alij subditi, quibus ipse dedisset similem licentiam. Ratio: quia cum ipse tunc esset administrator rerum communium, ad eum pertinebat diuidere, & applicare singulis, quae prudenter iudicaret illis applicanda. Sicut ergo poterat alijs applicare vestem, aut Breuiarium ad eorum usum; sic poterat sibi, qui erat vnus ex illis, qui debebant participare bona communia, seruata tamen prudenti, & rationabili distributione, vt non applicaret sibi plusquam alijs cum eorum prauiudicio, hoc tamen etiam seruandum erat in applicatione, & licentia respectu aliorum subditorum. Iam ergo erat vestis ei legitimè applicata ab eo, qui habebat munus applicandi, & distribuendi bona communia.

2. Ad posteriorem classem pertinet facultas verbi gratia accipiendi aliquid, vel donandi, vel vendendi anno sequenti: item facultas data alicui, vt postea, vel absoluat, vel absoluat à peccatis reseruat: haec enim, & similes facultates non habent praesentem effectum nec executionem, sed futurum tempore sequenti; & has facultates dicimus non posse Praelatum dare sibi nunc pro tempore sequenti, quo iam non erit Praelatus, potest itaque nunc accipere vestem, quia hoc iam nunc mandatur executioni: potest item nunc accipere pecuniam ab amico, & retinere, & in virtute huius legitimae acceptionis qua accepit illam ad vsus non communes, sed suos, potest etiam finita praelatura eas retinere, vel apud se, vel saltem apud illum, apud quem alij subditi deponunt: id quod cum licentia accipiunt ad vsus suos: non tamen poterit eas postea expendere sine licentia successoris, quia licet poterit eas pecunias licitè accipere; non tamen dare sibi licentiam ad eas expendendas tempore sequenti, quando iam ipse esset subditus. Similiter non poterat quando erat Praelatus dare sibi facultatem absoluendi alios Religiosos à reseruat, quando iam non esset eorum Praelatus, nec etiam vt ipse ab eis absolueretur: quia illa licentia mandanda esset executioni tempore sequenti, quo iam ipse non posset eam concedere. Hucusque Cardinalis Lugo: ex cuius doctrina apparet in casu mihi proposito, Religiosum illum retinendo penes se pecuniam, quam tempore quo erat superior recepit, non peccasse, si postea illam cum licentia Praelati successoris expendisset.

3. Sed vt verum fatear, magis mihi placet opinio affirmatiua, quam contra Cardinalem Lugo sustinet nouissimè Pater Dicastillus de sacram. tom. 2. tractat. 8. disputat. 10. dub. 7. numer. 147. vbi superius dicta ab Eminentiissimo Cardinali approbando, in vno difficultatem habet, quod facit pro casu mihi proposito, dum dicitur à Cardinali Lugo posse quidem acceptam pecuniam finita Praelatura retinere, non tamen illam postea expendere sine licentia successoris, quia licet poterit licitè illas pecunias accipere, non tamen dare sibi licentiam ad eas expendendas tempore sequenti, quan-

do iam ipse esset subditus. Difficultas verò mea in eo sita est, quod actus expendendi, ideo non potest fieri ex vi praecedentis facultatis, aut potestatis quam habuit ad recipiendum, & retinendum, aut etiam expendendum eas pecunias tempore quo erat superior, quia actus expendendi, est vsus talis pecuniae, & actus talis, vt non possit fieri sine legitima facultate tunc existente, quando fit actus facultas autem ad id tunc nulla est, quia neque est facultas, quam habebat, quando erat superior ex vi sui officij, quo iam est defunctus, neque alia facultas, quam sibi dedisset quando erat superior, duraturam pro sequenti tempore, quando iam non esset superior: hoc enim non poterat sibi inferre, vt merito expressè conceditur, & supponitur in praedicta doctrina, & nos paulò post probabimus atqui non solum actus expendendi est actus contra votum, & obligationem paupertatis, sed etiam actus retentionis; imò etiam est contra iustitiam, quia actus retinendi pecuniam non potest fieri sine voluntate domini, qui dominus non est Religiosus, sed communitas, quam oportet consentire per se, si illa est, quae gubernat, vel per caput suum scilicet per superiorem, ergo sicut actus expendendi in illo tempore, quo non est superior, est actus sine legitima facultate factus à non domino, & simul impeditur per votum: ita & actus retinendi erit actus sine legitima facultate factus à non domino, & per votum impeditur, & sicut superior non potest sibi concedere facultatem ad expendendum eo tempore quo iam non sit superior; ita neque ad retinendum eo tempore quo iam non sit superior. Quod si recurrat aliquis ad voluntatem superioris sequentis, qui censetur non inuitus in retentione eius, quod legitime fuit acceptum; hoc non est facere actum sine voluntate superioris sequentis; sed cum illa, quod iam est aliud fundamentum, & alia doctrina, quae eodem modo potest habere locum in expendendo, sicut in retinenda pecunia, & concedendum videtur esse eandem rationem in vno, atque in alio, atque hoc est quod intendo. Qui discursus videtur probare quod sicut non potuit dare facultatem, vt quas pecunias legitimè potuit accipere, quando erat superior, possit expendere legitimè quando non sit superior; ita non potuit dare facultatem sibi, vt quas pecunias legitimè accepit, & retinuit, quando erat superior, legitimè retineat quando iam non est superior. Confirmo, & declaro, quia retentio pecuniae illo tempore, quo iam non est superior, est moraliter quaedam acceptio pro illo tempore, & illa habitio pecuniae illo tempore tantum differt à prima acceptione, sicut in Physicis quaedam conseruatio à prima productione, quae ideo non est prima productio, quia praecessit tempore praecedenti existentia termini, ab eadem, vel ab alia causa; quod satis extrinsecum, & accidentiale est: atqui non admittunt praedicti Theologi posse sibi dare facultatem accipiendi pecunias pro tempore, quo non sit iam superior, ergo neque dare sibi facultatem, vt possit sibi retinere, & exercere actum habendi in illo tempore. Ergo quamuis alius possit dare illam licentiam duraturam pro sequenti tempore, sibi non poterit. Et haec omnia docet Dicastillus vbi supra.

4. Nota vero supra dictos viros doctissimos concordare, quod Praelatus possit concedere alius licentias posterioris generis, etiam mandanda sine executioni tempore sequenti, quando ipse Praelatus non erit, & non possit sibi ipsi eas communicare pro tempore sequenti. Cur verb. g. possit alius dare facultatem absoluendi à reseruat etiam tempore sequenti

sequenti subditos huius Conuentus, vel Provinciae, cui ipse nunc praest, & non possit sibi dare nunc eam facultatem ad tempus sequens; Ratio autem videtur haec esse: quia ipse nunc est capax accipiendi talem commissionem: potest enim ipse nunc absolueri, vel per alios, quibus committat illud officium: non potest tamen committere illud nisi iis, qui sint capaces talis commissionis accipiendae. Vnde non potest nunc dare eam facultatem homini non baptizato, vel non clerico, qui futurus esset clericus tempore quo iam ipse non esset Praelatus: nunc autem ipse Praelatus non est capax accipiendi delegationem, vel commissionem à se ipso: quia inter delegantem, & delegatum, seu commissarium debet dari distinctio: quare ipse non potest tunc accipere illam facultatem; postea verò non potest etiam, quia iam expiravit potestas in dante. Ergo licet aliis possit communicare eiusdem facultatem, non sequitur quod possit eam communicare sibi ad tempus futurum, quo non erit Praelatus.

5. Itaque illa facultas debet esse quaedam delegatio & collatio potestatis delegatae, ipse verò non est capax talis delegationis à seipso; quia inter delegantem, & delegatum debet esse distinctio, & in eodem tempore debet esse capacitas in delegato, & potestas in delegante. Quando autem ille est Praelatus, non est capax delegationis praesertim à se; postquam verò iam non est superior, est quidem capax delegationis, sed iam deest potestas delegantis, quod totum non contingit comparatione aliorum, quia est potens delegare, & in eodem tempore illi capaces delegationis. Non ergo mirum quod sibi non possit, & possit aliis.

6. Sed haec omnia procedunt de facultate, quam superior directè sibi confert; nam indirectè potest iuxta supra citatam materiam, & ideo Dicastillus *vbi supra* n. 150. asserit, posse Praelatum, dum adhuc est Praelatus, dare alicui facultatem ad id eum facultate subdelegandi, quo casu, cum ille alius possit quemcumque; alium ex subditis illius communis subdelegare, ex vi facultatis acceptae ab illo, qui tunc erit Praelatus, possit ipsi expraelato, quando iam est substitutus, conferre eam potestatem delegatam.

6. Vnde ex superius dictis, ego olim interrogatus respondi potuisse confessorium Regularem absolueri à reclusis vigore facultatis obtentae à Praelato praeterito pro tempore sequenti, quo ipse non amplius, sed alius erat superior Monasterii, vel Provinciae, patet ex doctrina superius adducta à Dicastillo, & Cardinali Lugo.

RESOL. XVIII.

An Religiosus possit recipere aliquid sine licentia Superioris, si habeat intentionem petendi dictam licentiam priusquam expendat illud?

Et notatur, quod si talis Religiosus absolute recipiat, v. g. illam pecuniam, sed ad breue tempus, retineat, ut quia expectatur nouus Prior, vel scribat statim parri Generali, vel Prouinciali pro licentia, peccat tantum venialiter, quae quidem sunt valde notanda, quia practica. Ex p. 1. tr. 6. Ref. 42.

1. Negatiuè respondet Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 3. concl. 1.

2. Sed contrariam sententiam putat etiam probabilem: nam ita ait: [Est probabilis sententia Victoriae asserentis, posse Religiosum, seclusa speciali prohibitione, circa hoc recipere aliquid sine Praelati licentia: dum tamen habeat animum petendi licentiam, Tome VII.]

quando expenderit illud. Ita ille. Sed, quia res accepta acquiritur statim Conuentui, eò quòd absolute data, & recepta sit à Religioso, & ideo, dum absque licentia retinetur, id efficitur invito domino; propterea in tali casu dictus Religiosus potest, vt bene obseruat Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 51. & post illum Faustus in thes. Relig. lib. 8. quast. 109. n. 2. sine fractione paupertatis efficere, vt dominium illius rei, & administratio remaneat apud dantem; & ipse Religiosus, nomine illius \* depositam habeat, non ea vtens, donec licentiam à Superiore petat, & ita sine vilo scrupulo poterit rem quancumque detinere: quia sic Religiosus, nec dominium, nec vsum, nec administrationem illius rei habet: ergo non peccabit contra votum paupertatis, vt patebit melius ex *infra* dicendis. Notandum est etiam, quòd si talis Religiosus absolute recipiat, v. g. illam pecuniam; sed ad breue tempus retineat, vt, quia expectatur nouus Praelatus, vel scribat statim Generali, vel Prouinciali pro licentia, peccabit tantum venialiter. Quae quidem sunt adnotanda: quia multum practica. bilia.

ex Ref. 66. s. vic.

\* Sup. hoc cum eidem DD. hic citati infra in fine Ref. 27. & lege etiã §§ not. practica. Et pro nota-to vitimo huius Ref. in Ref. seq.

RESOL. XIX.

An Religiosus peccet mortaliter, si per breue tempus retineat apud se rem donatam, quia vult petere licentiam à Prouinciali, vel à nouo Superiori?

Et an Religiosus peccet contra paupertatem accipiens rem aliquam ex Communitate, & loco publico pro usu temporalis, vt deinde in eundem locum restituat? Ex p. 1. tr. 1 & Misc. 1. Ref. 19.

1. Negatiuè ego olim respondi, sed nominatim contra me insurgit Caramuel *fundam.* 32. numer. 524. vbi sic ait; An breuitas temporis excuset à peccato mortali?

2. Diana *part. 1. tract. 6. resol. 42.* agens de paupertate, respondet asseritiuè: cuius haec verba sunt. Notandum est etiam, quòd si talis Religiosus absolute recipiat pecuniam (nimirum inficso Abbate) sed ad breue tempus retineat, vt quia expectatur nouus Praelatus, vel scribat statim Generali, vel Prouinciali pro licentia, peccabit tantum venialiter & subscribit haec esse valde notanda, quia multum practica. bilia.

Quae hic est Ref. antecedens, & in alio §. eius not. 1.

3. At ego propter alias circumstantias fortè excusari hunc Religiosum posse existimo; at à temporis breuitate posse sumi excusationem, non video: illi enim ne vna quidem hora (immo neque vno momento) licet esse proprietario. Ita Caramuel.

Sed poterat amicissimus vir sententiam nostram interpretari, vt alij postea interpretati sunt, & ego de facta intellexi.

4. Sentiat itaque Hieronymum Garziam in politica Regulari tom. 1. tract. 4. part. 3. difficult. 5. dub. 3. numer. 10. vbi sic ait, Finalmente quando me ofrece el dinero el dante, si yo lo accepto como mio, pretendiendo tener derecho à el, es certissimo que peccaré contra votum, por mas que se quede penes dantem; por que acceptar dominio sin licencia ya sabe que es contra votum, y assientan en esto los Autores citados Diana *part. 1. resol. 42.* citada, Sanchez *num. 5.* desiendo que si yo recibo de afuera de casa vna cosa, con animo de no usarla sin licencia, però no quiero pidirsela al superior inmediato, sino al Prouincial, ò General; que si espero breuemente esta licencia que podre hazerlo sin peccar mortalmente contra el voto, però no tengo de acceptar el dominio;

Quae hic est Ref. antecedens & lege eam per totam, & eius primè annot.